



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Matrimonio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

De Ordine.

T I T. X.

O Rdo, est Sacramentum Ecclesiæ, quo superiorum imponens ordinato potestatem Ecclesiasticam tribuit. *c. ult. de sacram. non iterand.*

Potestas ea vel est *Ordinis*, vel *Jurisdictionis*; Sub illa cadit verbi divini ministerium, administratio Sacramentorum; Ecclesiarum ordinatio ad ædificationem: sub hac potestas excommunicandi, pœnitentes absolvendi, peccata retinendi.

Præcipua ea potestas, quæ ad Eucharistiæ Sacramentum refertur, in Sacerdote quidem plena & perfecta; ut qui unus illud potest conficere: in aliis inferiorum ordinum ministris major, vel minor, quo quisque ministerio suo magis minusve ad Altaris Sacramentum accedit.

Sed de hujus Sacramenti speciebus, differentiis, gradibus, satis superiore libro diximus.

Hic addimus ex omnibus ordinibus unum tantum Sacramentum constitui; non autem singulos ordines separatim Sacramentum esse. *sec. Canon. & Cucchum, in Instit. major. hoc. tit.*

De Matrimonio.

T I T. XI.

S Equitur de matrimonio; quod, quoad divinam in paradiso institutionem, divinique mysterii effectum, Sacramentis annumeratur.

Est *matrimonium*, viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem, cum divini & humani juris communicatione, continens. *in sum. 27. qu. 2. §. sunt. c. illud. 11. de presunt.*

Ejus bona sunt, præter Sacramentum, fides, proles, fornicationis remedium. *can. 10. omne. 27. qu. 2.*

Illud

Illud in contrahendo *Sponsalia* præcedunt: unde de iis primo agendum.

De Sponsalibus.

TIT. XII.

Sponsalia, sunt futurarum nuptiarum promissio. *c. nostrates. 3. caus. 30. qu. 5.*

Sunt vel *de presenti*, vel *de futuro. c. si inter virum. 31. hic.*

De presenti (sic dicta quasi concepta per verba præsentis temporis) nihil aliud sunt quam contractus matrimonii, *c. 1. c. tuæ fraternitati. 25. & d. c. si inter virum. 31. eod.* quibus jam dicta sponsaliorum definitio non competit. Unde de iis titulo sequenti de Nuptiis tractabimus.

Sponsalia de futuro (quæ propriè Sponsalia), sunt promissio futurarum nuptiarum; per verba futuri temporis; ut, *Ego te in uxorem ducam. c. pen. eod.*

Hæc vel sunt *Nuda & Simplicia*: cum sponsus sponsæ nudè & simpliciter promittit, quod eam in uxorem ducet; & è converso. *c. ad audientiam. 4. & c. si inter. eod.* vel *Firmata*, cum aut arrhæ, aut earum vice pignora, aut annulus datur; aut juramentum interponitur. *c. 14. si quis uxorem. c. 15. si quis desponsaverit. 27. qu. 2. c. praterea. 12. c. veniens ad nos. 15. c. commissum. 16. eod.*

Contrahuntur consensu, *c. praterea. 2. eod.* sive is verbis, sive re, ut annuli, *Gl. in c. fin. de despons. impub. Gl. in c. tenor. 10. de sent. & re jud. munerum datione, osculis, amplexu; Paris. conf. 15. num. 4. vol. 4. arg. c. 1. de despons. impub. in 6. in §. idem quoque. & ibi Dd. sive literis, Archid. in c. 8. nec illud. 30. qu. 5. num. 5. & in c. fin. de procur. in 6. num. 2. per epistolam, nuncium, procuratorem; Hostiens. in §. qualiter hic. exprimatur.*

Annuli datione, id est, subarrhatione, *d. c. 15. si quis desponsaverit. 27. qu. 2.* ut contrahantur sponsalia, annulum non sufficit dari: sed necesse, sive voce, sive signis exprimi,